



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

Spanheim, Ezechiel

Amstelodami, 1671

De Nummis sequentium Augustarum, & speciatim de Nervae uxore;  
Faustinis & Lucilla cum habitu Cybeles; Titianâ Pertinacis; Julia Domna  
Severi, & de cognomine Domni & Domnae; Plautilla Caracallae; ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12878**

AUGUSTÆ titulum, JULIÆ TITI Filiæ adscribunt illius Nummi, in quibus vulgo Mulare Carpentum, ut supra innui, & inscr. DIVÆ JULIÆ AUG. DIVI TITI F. Quo respexit Martialis,

*Dum voce supplex, dumque thure placabit*

*Matrona DIVÆ dulce JULIÆ nomen.*

Lib. ix.  
Ep. i.

Domitiani autem Conjugi DOMITIÆ nomen LONGINÆ præter Suetonium tribuit Nummus Medicus, (qualem descripserant jam olim diligentes antiquarii, & post eos Scaliger in Eusebianis) qui ab una parte Domitianum, ab altera hanc Domitiam refert, & inscr. ΛΟΝΓΕΙΝΑ ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Neque infrequenter eadem Augusta signata in aliis Græcis Ephesorum, Magnesium, Cadænorum, Amastrianorum, ac Amphipolitarum nummis, quos versare mihi non semel licuit in illustribus Cimeliarchiis, cum Dianæ Ephesinæ, aut Fluvii jacentis, aut Tripodis aliisve id genus symbolis. Haud ignoti quoque Romani ejusdem Augustæ nummi, vel cum inscr. ob natum ex se & mox consecratum infantem, DIVI CÆSARIS MATRI; aut alias DOMITIA AUGUSTA IMP. DOMITIANI; seu, ut præfert insignis nummus æreus, DOMITIA AUG. IMP. CÆS. DIVI F. DOMITIANI AUG. alius minor itidem obvius DOMITIA DIVI F. DOMITIANI. Scilicet eadem ratione qua hujus liberti, servi, ornatrices, aliquoties numerantur in priscis marmoribus, cum inscriptione DOMITIÆ DOMITIANI. Sequentium vero Augustarum Historiam non minus illustrent antiqui Nummi. Nervam quidem Augustum uxorem habuisse, & filium ex uxore dictum Calpurnium, ex Plinio, Dione, & Victore etiam colligit Tristanus, sed nullo idoneo fundamento. Neque enim verba Plinii de Tra-

In Cimel.  
Camil. Maxim.

In Pane-  
SYR:

jani adoptione loquentis id arguunt, *Itaque, inquit, adoptatus es, non ut prius alius atque alius in Uxoris gratiam. Adscivit enim te filium non Vitricus sed Princeps.* quæ nihil aliud quam diversam Trajani, & Tiberii puta vel Neronis, adoptionem probant: quorum ille à Nerva patriæ caritate, hi à Vitricis Augusto & Claudio in uxoribus gratiam sunt adoptati. Dio vero nihil aliud tradit, nisi Nervæ Trajanum & quidem Hispanum adoptanti conjunctos non defuisse. Neque de filio siluisset, ut quem celebrat Nervæ in patriam caritatem, magis adhuc conspicuam redderet. Victorem autem, quem testem obiter hic appellat Trifstanus, non intellexit: ita enim ille, *Calpurnium Crassum promissis ingentibus animos militum prestantem detectum confessumque Tarentum cum uxore removit, patribus lenitatem ejus increpantibus.* Plana hæc de Calpurnio & ejusdem uxore à Nerva relegatis, ob crimen majestatis; ex quibus tamen uxorem ipsius Nervæ & filium Calpurnium commentus est Trifstanus, parum certe probabili conjectura. At vero verisimilius quis ignotum ex auctoribus Nervæ matrimonium colligat ex ejus Nummo Mediceo, in quo caput muliebri ornatum diademate cum inscr. IMP. NERVA CÆS. AUG. in averfa Glóbus cum temone: ni tamen insolitus apud Romanos illis temporibus usus Diadematis, ad Deam aliquam, puta Junonem, eundem Nummum referendum potius arguat. Trajani vero non solum uxorem PLOTINAM, sed insuper (sicut ante obiter indicatum) MARCIANAM sororem, & Filiam ejusdem MATIDIAM, AUGUSTAS ex Nummis & Lapidibus renuntiatas, discimus. Ex his etiam DIVAM Marcianam arguunt nummi Filie inscripti, MATIDIÆ AUG. DIVÆ MARCIANÆ, & singularis quidam Mediceus, in quo legitur  
DI-

DIVA AUGUSTA MARCIANNA, cum gemino  
 N & cum Aquila: præterea in averfa parte ac inscr.  
 CONSECRATIO. S. C. cujus etiam index alius e-  
 jusdem Divæ nummus, cum figura in curru quem duo <sup>In Gaza</sup>  
 Elephantes trahunt. Soror vero Matidiæ SABINA, <sup>Regin.</sup>  
 infausta Conjux Hadriani, cum in vulgatis nummis, <sup>Christin.</sup>  
 tum in rarissimo Farnesiano una cum Antino mariti  
 catamito depicta occurrit. FAUSTINAS vero, Ma-  
 trem & Filiam non trita solum & obvia passim numif-  
 mata, sed rariora etiam nonnulla exhibent. Et Matris  
 quidem FAUSTINÆ nummi, Antonini Pii conju-  
 gis, plerique post mortem ejus percussi cum solitis con-  
 fecrationis symbolis ac nominibus. Quo spectant etiam  
 insignes, quamquam jam vulgati antiquariis nummi,  
 in quibus plures figuræ cum puellis occurrunt, Fausti-  
 na vero subfello insidens, & inscr. PUELLÆ FAU-  
 STINIANÆ; quæ nempe inde nomen nactæ ut li-  
 quet ex Capitolino, quod in honorem mortuæ con-  
 jugis alimenta iis è publico ex Pii jussu decreta sint.



Tales vero alimentarios pueros ac puellas ad frumen-  
 tationem primum admissos à Trajano, gratia ætatis iif-  
 dem facta, liquet ex Plinii Panegyrico, ut jam vide-  
 runt viri docti. Unus vero aut alter nummus hujus Au-  
 gustæ occurrit signatus eadem viva inter nummos Me-  
 diceos, cum inscr. CONCORDIA AUG. Quo re-  
 ferendus etiam præclarus quidam nummus, in quo plu-  
 res Sabinæ cum parvulis depinguntur intervenientes  
 Sabinorum & Romanorum pugnæ; cujus nummi noti-  
 tiam

tiam mole & raritate inter paucos insignis, Cl. Gottifredi acceptam fero. Eidem Faustinae adhuc superstiti adscribendus alius nummus è maximorum itidem genere, hinc cum inscr. **FAUSTINA AVG. ANTONINI AVG.** illinc cum Cybele vel Faustina habitu Cybeles Leone vecta, cujus hic depicti gratiam incomparabili Reginae habiturus est Lector.

In Gaza  
Christinae  
Augustae.



De Cultu.

Geminam omnino huic Nummo & præclaram quidem statuam observabam nuper in Villa Pamphiliana. De Galero autem illo, seu operculo Verticis, quod præferunt passim Faustinae hujus nummi, audiendus est Tertullianus, cui facem iidem commodant. *Alia gestunt in cincinno coercere, alia ut vagi & volucres elabuntur, non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates capillorum, nunc in GALERI modum, quasi vaginam capitis, & OPERCULUM VERTICIS, nunc in cervicem retro suggestum.* Ad **FAUSTINAM** vero Filiam spectat alius Nummus Reginae ejusdem Gazæ, in quo eadem Cybele occurrit inter duos Leones sedens, una manu tympanum, altera gestans papavera.

Fre-



Frequenter nempe sub habitu hujus Deum Matris depictæ id genus Augustæ; unde ejusdem Faustinae puerperium, sub puerperii Cybeles effigie adumbratum videas in nummo Cl. Seguini. Ita haud dissimilis adlato modo Faustinae Nummo alter Filiaejusdem LUCILLÆ L. Veri conjugis, cum Cybele sedente itidem inter duos Leones: nisi quod Papaverum loco Pinus ramum gesser, eidemque adster Atys cum pileo Phrygio.



Ad Lucillæ hujus Matrem Faustina pertinet, ut obiter hoc addam, alter ejusdem Nummus à Tristano adlatus cum inscr. ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ ΚΕΒΑΚΤΗΤΕΒ. Tom. I. ΚΕΒ. ΘΥΡΑΤΗΡ, sed quem aliud agens procul dubio pag. 593. vertit, *Faustina Augusta Pii Augusti Coniux*, & ita perperam

Kkkk ram

ram ad Matrem, non ad Filiam refert. Nec Commodi solum Uxorem CRISPINAM Dianæ habitu, sed & ejusdem pellicem MARCIAM Palladis aut Amazonis instar depictam exhibent præclari itidem Nummi. De hac postrema Lampridius, *Commodus Amazonius Marciam Concubinam in Amazone pictam diligebat*. Pertinacis conjux TITIANA Antiquariis hætenus ex Nummis ignota; licet in nummo quodam Mediceo spectetur, in cujus averfa parte Navis cum velo. Neque enim silendum, haud immerito suspectum eundem fuisse erudito illius Gazæ Custodi Petro Fittonio, quasi Crispinæ caput in anteriori parte referret. Equidem ut alia mittam, Pertinacem certe uxorem Augustam dei noluisse tradit Dio, quamquam aliunde sciamus hoc nomen eadem die utrique conjugum delatum. At Successoris ejusdem Didii Juliani duas AUGUSTAS nuncupatas Uxorem & Filiam, MANLIAM nempe SCANTILLAM & DIDIAM CLARAM, Nummi earundem adhuc arguunt; ut vere pateat adsertum à Spartiano; *Uxor etiam Manlia* (non ut ibi legitur *Mal- lia*) *Scantilla, & filia ejus Didia clare Augusta sunt appellata*. JULIA DOMNA Severi Conjux ex ejusdem nummis nota, & jam ex iis castigatus ab eruditis error Viri docti, qui DOMNAM ab Oppiano per syncopem, pro *Domina* dictam existimaverat. Eundem tamen erravit nuper eruditissimus editor Nicephori Bryennii, qui insuper ex hoc ipso Oppiano loco *Domina* dictas colligit Matres Augustorum. DOMNA enim proprium cognomen Syrachus Mulieris, sicut in Oriente & Ægypto frequens occurrit apud Auctores Ecclesiasticos DOMNI & DOMNÆ appellatio. Ita Isidori illius, cujus vitam describit Damascius apud Photium, uxor *Domna* ab eodem vocatur. Unde etiam eadem

In Gaza  
Christ.  
Reg.

Lib. LXXIII.

Capitol. in  
Pertinac.

In Did. Ju-  
liano.

dem vox mihi videbatur restituenda in lege quadam de Legatis, ubi Julii Agrippæ primipilaris neptis *Julia Domina* vocatur; *quesitum est an eæ prædia extraneus hæres haberet, an vero ad Juliam dominam, qua habuit patrum Majorem Julium Agrippam, pertinerent.* Cur vero hæc *Julia* neptis hujus primipilaris, *domina* ibi appelletur, vix unquam commode explicabunt juris interpretes. Magnus quidem Cujacius in divinis Observationibus (ut non male eadē vocat illustris Thecanus) ex hoc loco, sed dubie tamen & titubanter colligebat, Mulieres olim Romanis dictas *dominas*, non respectu solum maritorum, sed etiam per se. Verum errorem vulgatæ lectionis melius detexisset, pro qua *Juliam Domnam*, legi debere quovis pignore contenderem. Et hæc quidem continuo notaveram, dum forte Cujacii observationes versarem, quum animadverti postea idem jam de hac *Julia domina* in *Domnam* transferenda, duobus eruditissimis viris subolevisse, Guidoni nempe Pancirollo, in libris Variarum, & novissime Ægidio Menagio in Amœnitatibus Juris. Diversa autem DOMNI apud Anastasium aliosque coævus Scriptores ratio; qui hoc nomen Cæsaribus aut Ecclesiarum Antistitibus, ut dignitatis titulum vulgo solent tribuere. Male vero eadē Julia Severi pro Julia Domna, JULIA DOMINA legitur in Veteri lapide apud Gruterum. A *Domna* vero factum etiam *Domnica*, quo nomine Valentis uxor vocatur apud Socratem. Nec minus quis ex eisdem JULIÆ nummis colligat, eam perperam ab Eutropio, Spartiano, Eusebio, & Orosio, Novercam Caracallæ, & præterea ejusdem Uxorem, non autem Matrem statui, quod utique apud Varnos minus inolitum accidisset, quibus novercam uxorem ducere lege concessum tradit Procopius. Certe præter potiore

L. pater. 38.  
§. 4. D. de legat. 3.

L. III. c. 18.

Thes.  
CCLXVIII.Hist. Eccl.  
l. IV. c. 26.Bell. Goth.  
l. IV. c. 20.

Kkkk 2

hic

hic longe Oppiani, Herodiani, & Dionis coævorum  
Scriptorum auctoritatem, MATER AUGG. Caracallæ  
nempe & Getæ vocatur sine ullo discrimine, &  
manifestius adhuc Mater hujus Caracallæ in priscis  
nummorum monumentis. Unde occurrit ejusdem  
JULIÆ mentio in veteri lapide, qui Scaligero aliisque  
eruditis crucem fixit,

I. O. M. ET.

IVNONI REGINÆ

PRO SAL. IMP. M. AVR. ANTONINI  
PII AVG. ET IVLIÆ AVG. MATRIS  
AVG. M. VLP. MUCIANVS

MIL. LEG. XIII. GEM.

HOROLOGIAR. TEMPLVM

A SOLO DE SVO EX VOTO

FECIT

FALCONE ET CLARO COSS.

Neque enim alia hæc Julia Mater Augusti, nisi eadem  
hæc Mater Caracallæ, qui *M. Aurelius Antoninus Pius*  
passim in Nummis & lapidibus antiquis vocatur. Un-  
de accedere non possum doctissimo Reinesio, qui ob  
repertam sibi in Nummis Juliam Soæmiam Matrem E-  
lagabali non parum sibi gratulatus, ad eandem conti-  
nuo lapidem hunc refert. Neque enim hanc Juliam si-  
ne adjuncto SOÆMIÆ cognomine in priscis monu-  
mentis dictam reperies; quum Julia Severi in iisdem  
passim JULIA PIA, JULIA AUGUSTA descri-  
batur; ut mittam geminam cum hoc marmore alio-  
rum auctoritatem, in quibus iisdem verbis hanc JU-  
LIAM MATREM AUG. h. c. Caracallæ vocari vi-  
deas. De Consulibus, qui Scaligerum hic turbarunt,  
res

res facile componi potest; si non pro ordinariis, sed pro suffectis habeantur: ut alias idem eruditissimus Reinesius recte observavit. Eiusdem vero Caracallæ Uxor **PLAUTILLA**, cum in Nummis vulgaribus, tum in altero Græco apud Tristano, cum prænomine **FULVIÆ** spectatur. Eam itidem exhibent duo insignes mole & raritate Nummi, alter Tarsi percussus, In Cimel. Reg. Christi. hinc cum capite Plautillæ, illinc cum eadem Augusta & conjugè Caracalla dextram jungentibus, ac inscr. **ΑΔΡ. ΓΕΥΗΡΙΑΝΗC ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC**: alter Caracallæ & Plautillæ capita repræsentans, cum inscr. **Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC**, infra **ΠΛΑΥΤΙΑΛΛΑ**, in altera parte vero nudam Venerem cum Vase & inscr. **ΚΝΙΔΙΩΝ**. Quem præclarum Nummum, qui celebrem illam Cnidiam Venerem nobis adhuc hodie ante oculos ponit, versabam haud ita pridem inter illustria Cimelia Regiæ Gallorum Gazæ. Elagabali autem Mater paullo ante commemorata Julia **SOÆMIAS**; & tres ejusdem Uxores, **JULIA PAULLA**, **JULIA AQUILIA**, **ANNIA FAUSTINA** in selectis numismatibus etiamnum prostant. Posterioris vero nomen ex iisdem solum discimus, quam à Commodogenus derivasse tradit Herodianus, Dio vero M. Aurelii neptem vocat. Alias Annii cujusdam Fausti, delatoris sub Nerone insignis, meminit Tacitus, à quo stem- Hist. II. 103 ma hujus Annie Faustine videretur arcessendum. Male vero eadem à Tristano prior Elagabali conjux statuitur; quum & Herodiano tertia diserte adnumeretur, Lib. IV. & eadè mariti Pomponii Bassi quæsitus illius nuptias, sed non primas, Dio auctor sit. Lib. LXXIX. Duas vero priores Augusti illius Conjuges, prænomen **JULIÆ** gestasse, non aliunde rursus quam ex earundem Nummis percipimus; quarum altera **CORNELIA PAULA**, alte-

ra sine alio prænominē, AQUILIA SEVERA Dionii vocatur. Unde etiam adsequimur, frequenter id receptum ea maxime ætate, ut Augustarum nomina mutarentur, aut ornarentur alterius prænominis additione. Hanc vero nominum in Augustis id genus mutationem maxime fieri solitam videas, ubi turpia illa videbantur aut ominosa, ut de Euphemia Justini Imperatoris Conjuge notat Procopius, quæ antea Lupicina vocabatur; unde, inquit, ἐπεὶ ξὼ τῶ ὀνόματι τῆ ἀντιῆς ἰδίῳ ἄπε κατὰ γέλῳ ὄντι ἐς Παλάτιον ἦλθεν, ἀλλ' εὐφημία Ἰπικληθείου: neque cum proprio nomine, quod ludibrio opprobratum videbatur, in Palatium venit, sed Euphemia appellata. Haud aliter nempe ac auspicata id genus nomina, aut in sponsi & sponsæ deductione, ac admissione Vestalium apud Romanos; aut in dedicatione Templorum, juxta illud Taciti in restituendo Capitolio, *Ingressi milites, quibus fausta nomina*, aut alias pro male ominatis Urbium nominibus quaesita nonnunquam reperias; nempe, quod ait alibi Procopius, τῶ δὲ πρὸ τῆ πρὸς ἰδίῳ ὀνόματι ἀφ' ἐφύροντες ἐλασφημίαν. More utique hominum consueto, quo, sicut rursus alio loco vere observat idem Auctor, magis vocabula turpia, quam res ipsas solent amoliri. Exemplum cæteroquin mutati aut adsumpti alterius nominis dederat jam olim LIVIA, cui primæ cognomen AUGUSTÆ cum pronomine JULIÆ concessum videmus. Hinc postea frequens istud evasit sequentium Augustarum, ut JULIÆ DRUSILLÆ, JULIÆ AGRIPPINÆ, JULIÆ TITI, & in JULIA PIA Severi Conjuge renovatum; quod nomen eandem è familia Juliorum traxisse observat doctissimus Reinesius. Ab ea certe translatum ad Augustas & Gentiles eorundem temporum, JULIAM MÆSAM hujus Sororem ac Aviam duorum Augustorum

In Ar. an.  
Histo c.

Hist. iv. 53.

Bell. Goth.  
l. i. c. 15.

Bell. Goth.  
l. iv. c. 15.

rum JULIAM SOÆMIAM Elagabali, & JULIAM MAMMÆAM Alexandri Severi Matres, ac earum exemplo ad utramque illam Elagabali Conjugem, JULIAM PAULAM & JULIAM AQUILIAM: ita ut eadem atate Augusti ANTONINI, Augustæ vero JULIÆ vulgo dicerentur. Neque tamen octo JULIÆ intra Severi & Alexandri tempora, ut existimabat vir longe eruditissimus, sed sex tantum reperias modo commemoratas, Severi nempe Conjugem eandemque Matrem Caracallæ, Sororem ejus Aviam duorum Augustorum Elagabali & Alexandri, Matres utriusque, & duas prioris Uxores. Neque enim aut tertia uxor Elagabali ANNIA FAUSTINA, dicta JULIA, ut patet ex ejus Nummis; & ideo, ut existimo, quod stirpem & clarum nomen duarum Augustarum jam aliunde ad mariti nuptias adferret; neque etiam ulla Julia Alexandri Severi conjux occurrit in prisca monumentis. Alia nempe illi in iisdem tribuitur; ab antiquariis vulgo alteri elocata, SALLUSTIA BARBIA ORBIANA, quæ ut frequenter sine mariti effigie, ita occurrit in rarissimo nummo ejusdem Alexandri. Eum enim à se in-

In Cimel.  
Card.  
Buon-  
comp.

spèctum significavit mihi aliquoties princeps apud vos antiquariorum Fr. Gottofredi, in anteriori parte referentem Alexandrum Severum, in altera hanc Sallustiam Orbianam. Unde illius nummi auctoritate, hæc non Trajani Decii, ut vulgo antiquariis persuasum, sed ejusdem Alexandri uxor esset statuenda. Quod ipsum confirmare videntur alii Nummi ejusdem SALLUSTIÆ, in quibus illa cum conjuge depicta manus eidem tradens, ac inscr. CONCORDIA AUGUSTORUM; quorum ille Alexandrum Severum potius quam Decium referre videtur. Turbat aliquantum inscriptio marmoris;

G. N. Æ. Æ.

GNÆÆ  
SEIÆ HEREN  
NIÆ SALLVS  
TIÆ BARBIÆ  
ORBIANÆ AVG.  
CONIVGI DOMINI  
NOSTRI AVG.  
VALENTINI VE  
TERANI ET  
VETERES.

in qua ea DOMINI NOSTRI appellatio ad Decii magis quam hujus Alexandri tempora videtur referenda. Quibus addi potest Nummi à Trifano adlati auctoritas, in quo hinc Hostilianus Decii filius aut gener potius, hinc SALLUSTIA BARBIA ORBIANA; sive eadem cum hac Sallustia, sive filia illius; ut credidit Trifanus, statuatur. Adeo ut vel alterutrum fateri oporteat, aut duas cum his nominibus floruisse Augustas, alteram Alexandri Severi, alteram Decii conjugem, quod minus equidem verisimile; aut de fide horum nummorum eundem ulterius in consilium. Cæterum aliam eidem Alexandro uxorem tribuit Lampridius, nomine MEMMIAM, quam & MEMMIAM SULPICIAM, nescio cujus nummi fide protulit Goltzius. Maximini etiam Conjux sed tacito nomine ab Appiano, Marcellino & Zonara refertur, quorum iste eandem à truculento marito interfectam narrat. Ea vero vulgo statuitur ab antiquariis, non Calpurnia quædam cum doctissimo Camerario, sed quæ in veteri numismate occurrit appellata DIVA PAULINA, & in averfâ parte cum Consecrationis nomine ac symbolis. Ut verum tamen fatear, levibus aut nullis potius conjecturis id hætenus nititur, quum id neque ex Nummi  
incri-

inſcriptione aut aliis Veterum monumentis liceat hodie colligere. Immo obſtare potius videntur mea ſententia illa conſecrationis ſymbola : quem honorem Tyranni conjugii & hoſti Senatus ab eodem Senatu habitum parum videtur mihi veriſimile. Nequidquam enim Triſtanus illum tuetur exemplo Poppææ & Sabinae Hadriani, quæ quamquam à maritis interfectæ, eorum tamen opera fuerunt conſecratæ. Neque enim eadem Maximini ratio, cujus & ferocius adhuc ingenium, & breve ac procul ab Urbis conſpectu imperium, & cum perpetua Senatus diſſenſione conjunctum, & inſenſi denique poſt mortem ſucceſſores. Notum alias etiam ſub Cæſarum imperio penes Senatum fuiſſe conſecrandi facultatem ; adeo ut difficulter honorem illum Hadriano mortuo extorſiſſe legatur Antoninus Pius. <sup>Capitol. ia</sup> Mitto leviores adhuc ejuſdem Triſtani conjecturas, <sup>Pio.</sup> qui modo JULIAM PAULINAM dictam eandem fingit pro arbitrio, & modo Julii Pauli Jurisconſulti, modo Pontii cujuſdam Paulini filiam, modo eandem credit cujus mentio in lege quadam de Legatis, *Paulina filia mea legatum*. Hæc enim omnia tam incerta quam incertiſſima. Si aliquis conjecturæ hic locus, & Nummi elegantia pateretur, ad PAULINAM, Hadriani ſororem magis placeret eandem referre, de qua exſtat nobilis adhuc inſcriptio. Id vero poſtea Occoni in prioribus ejus curis placuiſſe animadverti, qui dein motus Panvini & aliorum auctoritate, dubius tamen in vulgatam ſententiam conceſſit. Inſcriptio autem talis,

DOMINA  
PAVLINÆ SO.....  
IMP. CÆSAR.  
TRAIANI HADR.  
AVG.  
FVNDA.  
DD.

LIII

Huic

Huic enim recenti Marcianæ fororis Trajani exemplo, idem Consecrationis honos à Senatu haberi potuit. Verum obstat, ut innui, Nummi illius DIVÆ rudior pro Hadriani ætate figura & adspæctus, tum forte Excerptorum Dionis auctoritas, in quibus sugillatus legitur Hadrianus, quod consecrationis honorem Antinoo catamito, non autem Paulinæ Sorori deferri curasset. Adfert ceteroquin eundem Paulinæ Nummum Pyrrhus Ligorius in opere inedito, quem eidem Hadriani modo Matri modo Sorori vindicat, ita tamen ut in eo DIVA PAULA, non PAULINA legatur, sicut vocari tamen agnoscit in Inscriptione Fundana. Id vero ideo factum existimat, quod consecrantes eandem Paulinam Romani, nomen diminutivum ei ademerint: quæ mira certe visa mihi observatio, & juxta quam non FAUSTINÆ, CRISPINÆ sed FAUSTÆ aut CRISPÆ vocari debuissent Augustæ post mortem sideribus receptæ. Sed nullus conjecturæ hic locus, cum DIVA PAULINA, non PAULA diserte legatur in illius Nummis, ac præter alios in quodam insigni Regiæ Gazæ Christianæ, in quo figura cum velo & face bigis vecta ac inscr. CONSECRATIO. Notior ex iisdem Nummis Gordiani Conjunx FURIA SABINA TRANQUILLINA, sicut vulgo ab Antiquariis describitur, quæ tamen non SABINA, sed SABINIA vocatur in præclaris neque obviis nummis qui integrum hoc nomen representant. Tales duos æreos ac argenteos videbam haud ita pridem in illustribus Lutetiæ Cimeliarchiis, cum inscr. SABINIA TRANQUILLINA AUG. ac alium insuper Græcum ejusdem Augustæ nummum è maximorum genere, CABEINIA TPANKYIA AINA. Quibus utique suffragatur inscr. antiqua, quam in Hispania repertam suis ad Concilium

Pag. 754.

In Mf. Reginae Christianæ.

Apud Ill. Colbertum &amp; P. Sevinum.

Apud P. Sevinum.

lium Illiberitanum commentationibus inferentem vides Cl. Mendosam, FURIAE SABINIAE TRANQUILLINÆ. Idem fatum experta Philippi Uxor OTACILIA, quæ vulgo traditur Antiquariis MARCIA OTACILLA, & quam pejus adhuc in *Optatillam* vertebat nuper vir doctissimus. OTACILIA enim dicta eadem, non OTACILLA, ut diserte priorem illam scripturam exhibet Nummus æreus in Museo Cl. Seguini inscriptus MARCIA OTACILIA SEVERA AUG. & alius insuper Græcus, in quo itidem OTAKIAIA legitur. Frequentes utique in Lapidibus antiquis *Otacia*, cujus Gentis apud Romanos notæ Livius insuper, Suetonius, aliique meminere, ac præterea Eusebius in Chronico ex versione Hieronymi, ubi *Vultacilius Plotus* corrupte pro *Otacilius Piletus* legitur, sicut erudite ex Tranquillo monuit litterarum decus Jos. Scaliger. Hæc autem Otacia Augusta cum in pluribus Nummis obvia, percussis celebritate ludorum sæcularium, tum in præclaro Farnesiano, cum inscr. SÆCULUM FRUGIFERUM. Cognomen autem SEVERÆ eidem tribuunt cum alii nummi, tum insignis Græcus Mediceus, Μ. ΩΤ. ΚΕΟΤΡΑ ΚΕΜ. ΚΕΒ. De Trajani Decii, quæ vulgo hæctenus creditur, uxore, SALLUSTIA BARBIA ORBIANA, modo vidimus eandem præclari Nummi fide Alexandro Severo adjudicari. Alteram etiam ejusdem filiam eruit Tristanus cum inscr. SALLUSTIA HERENNIA BARBIA ORBIANA, quam Hostiliani conjugem credit, ni potius eadem cum matre sit statuenda. Sic alia rursus in Nummis occurrit HERENNIA ETRUSCILLA, quæ Decii filia, Herenni Etrusci soror & uxor Volufiani, vulgo antiquariis statuitur. Turbat hic tamen Onufrius, qui eandem Hostiliani Con-

jugem censet, & firmat etiam Nummi auctoritate, in quo hinc Hostilianus scilicet, illinc Herennia Etruscilla describuntur. Atqui labat tota Nummi illius, ut ab eo traditur, fides, in quo diversa Hostiliani & Etrusci nomina confundit. Neque enim Etruscus tulit nomen Hostilii, neque Hostilianus Etrusci, quæ omnia mire ibi permiscet Onufrius, dum eadem Nummorum auctoritate vult confirmare. Alias ut fateor nihil obstare video, quin hæc Herennia æque Hostiliani ac Volusiani uxor censeatur. Nec solum nota ex iisdem Nummorum monumentis, aut Valeriani Patris MARINIANA, aut Galieni Filii SALONINA, sed & Fratris Valeriani Junioris uxor CORNELIA SUPERA à Tristano ex rarissimo nummo primum producta, & cui geminum audio exstare in Cimeliarchio Archiducis Leopoldi, nunc Cæsareo. Rarum autem SALONINÆ Gallieni cognomen CHRYSOGONES, ex nummo Græco adtulit idem Tristanus, inscripto scilicet ΚΑΛΩΝ ΧΡΥΣΟΓΩΝΗ qua de re cum videat Lector. Occurrit ejusdem mentio in Nummo Augustæ Reginae à Metropolitanis in Ionia percussio, sed in quo pro ΧΡΥΣΟΓΩΝΗ, sicut exhibet Tristanus, ΚΡΗΣΟΓΩΝΗ legebant diligentes antiquarii. Eadem felicitate productæ è Nummis *Tyrannæ* vel *Tyrannides*, sicut eas vocat alicubi Pollio, JULIA DONATA, Uxor Postumi, & VICTORIA Mater Victorini cum inscr. MATER CASTRORUM, quemadmodum eidem Pollioni vocatur. Altera etiam Heroïna ZENOBIA AUGUSTA occurrit in uno aut altero Græco nummo quantivis pretii, cum adjuncto SEPTIMIÆ nomine, nempe qualem habuit Cl. Patinus noster СЕПТ. ΖΗΝΟΒΙΑ СЕВ.

Alios.



Alios itidem videas apud Cl. Seguinum cum integro Septimiae nomine *ΣΕΠΤΙΜΙΑ ΖΗΝΟΒΙΑ ΣΕΒ.* & Spei typo in averfa parte. Ita ut inde liqueat, non filiorum illam solum, quod Vopiscus tradit, sed proprio etiam nomine imperii insignia suscepisse. *PROBI* etiam Uxorem aliunde ignotam Strada jam olim ex Nummo argenteo protulit, in quo conjuncta Probi & Conjugis capita, præterito tamen hujus nomine. Talem æreum maximum exquisitæ raritatis notavi aliquando in Museo Augustæ Reginae, cujus eëtypum inde depromptum juvabit hic quoque divulgare.



Unde vero dictam eandem *JULIAM PROCLAM* hauserit Strada & ex eodem Trifstanus, fateor me juxta ignarissimos scire. Hujus equidem Juliae Proclæ pulcherrimum nummum protulit in lucem Cl. Seguinus, percussum à Mytilenæis & inscriptum *ΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΑΔΑ.* Quænam vero fuerit hæc Heroïna frustra diu à se quæsitum tradit idem vir elegantis judicii ac industriæ. Illud certe extra dubium nummum in-

LIII 3

spi-

spicienti, esse cum Probi ætate haud paullo superiorē, & circa Antoninorum tempora signatum, ut placere memini Cl. Gottofredi. Eam vero, quæcunque tandem fuerit, cœlestes honores consequutam docet adscriptum ΗΡΩΙΔΑΣ nomen, pro quo & Ηρωίνας & Ηρώσας etiam dixerunt Græci. Apollonius Rhodius,

Lib. IV.

Ηρώσας Λιβύης τμήσοι,

*Heroïde Libyæ vindices*, ubi notat ex Herodiano Græcus Scholiastes, Ηρώσας contracte pro Ηρωίνας nuncupatas. Ηρωίνας autem vocat Julianus in Cæsaribus, agens de Faustina à Marco conjugē consecrata, Ηρωίνας ἀνέγαγεν. *Heroïda* vero juxta superiorem Nummum dixit etiam Ovidius,

Trist. lib. I.  
El. 5.

*Prima locum sanctas Heroïdas inter haberes.*

Ipsa autem Aureliani SEVERINA in rarioribus quibusdam Nummis ULPIÆ nomine addito, Diocletiani Filia GALERIA VALERIA Maximiani uxor; & Maxentii MAGNIA URBICA (non ut apud Occonem MAGNENTIA URBICA) Augustarum etiam seriem implent. At Constantini sanctius Matris nomen, in præclaro nummo Leonardi Agostini, celebris in Urbe antiquarii occurrit. FL. JUL. HELENA. AUG. Unde *Flaviam Juliam* dictam eandem, sicut ex veteri inscriptione discimus, repetito è veteri more JULIÆ nomine Augustis olim familiari. A Filio vero Constantino hanc AUGUSTÆ appellationem sortitam, nummosque cum eadem signatos tradentem novimus Eusebium ac Sozomenum. Hinc de eadem Sulpitius Severus, *namque HELENA, Mater Principis Constantini, que AUGUSTA cum filio conregnabat.* Infaustam vero Constantini conjugem, non FAUSTAM solum, sed FLAVIAM etiam & MAXIMAM dictam adsequimur ex sequente Nummo,

mo, in quo cum duobus liberis eadem depingitur.



In Cimel.  
Reg.  
Christ.

Sic alteram hujus Constantini uxorem THEODORAM, Maximiani Herculei filiam, FLAVIAM MAXIMAM dictam itidem videas in antiquis illius Nummis, nempe FL. MAX. THEODORA AUG. seu ut præfert sequens... MAXIMA THEODORA AUG. cum muliere infantem lactente in averfa parte ac inscr. PIETAS ROMANA.



Unde liquet, illa FLAVIÆ MAXIMÆ nomina communicata fuisse à Constantino cum conjugibus, quum ipse FLAVIUS MAXIMUS CONSTANTINUS diceretur. Eutropius vero & Orosius hanc Theodoram Patri Constantio uxorem tribuunt, ex qua sex filios fratres Constantini dicunt eum suscepisse. Sed non novum illud scimus in historicis illorum temporum, ut Maximianum cum Maximino, Constantium eum Constantino non semel confuderint. Ita mitto hic aut supra jam indicatam Constantini filiam & Hannibaliani prius, dein Galli conjugem, celebrem in prificis

scis annalibus, cujus verum nomen ex Nummis demum  
 eruitur FL. JUL. CONSTANTINA AUG. quæ Philo-  
 storgio lucem commodant, qui eam à Patre Constanti-  
 no ornatam diademate & Augustam renuntiatam tra-  
 dit. De Gallo enim ejusdem conjugæ verba faciens, ait,  
 Καίτοις πᾶν δὲ ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ ἀνῆρ καὶ γὰρ αὐτῇ παρέδωκεν  
 τὸ δέδειγμένον τὸ ἀξίωμα. *Cæsar quum esset & AUGUSTÆ*  
*maritus; ipsa enim à Patre hoc dignitatis nomen consequuta*  
*fuerat. Ut agmen jam hic claudam, in monumentis id*  
*genus consignatæ neque passim obviæ, aut magni Theo-*  
*dosi Conjuges ÆLIA FLACCILLA & GALLA*  
*PLACIDIA; aut Leonis ÆLIA VERINA in num-*  
*mo aureo Cl. Seguini mihi inspecta, & cui geminum*  
*habet Cæsareum Cimeliarchium; aut Valentiniani III.*  
*foror, HONORIA in singulari nummo aureo Regiæ*  
*Gallorum Gazæ; aut Justinii EUPHEMIA, cujus au-*  
*reum itidem Nummum tractare nuper mihi licuit in*  
*eadem Gallorum Metropoli recenter eo adlatum, nec*  
*visum antea eruditibus ibidem antiquariis; aut Justiniani*  
*THEODORA, aut Phocæ denique LEONTIA.*

Hist. Ec-  
 cl. l. IV.  
 c. 28.

3.  
 Ad alias  
 Cæsarium  
 Necessitudi-  
 nes.

Accedunt præterea in eadem veterum Numisma-  
 tum congerie aliæ adhuc AUGUSTORUM necessitu-  
 dines, quas natura aut subsidiaria ejus adoptio Cæsa-  
 rum familiæ inseruit. Equidem plures id genus cum  
 vulgati jam diligentibus Antiquariis, tum rariores  
 quidam Nummi adhuc repræsentant, ut ad supple-  
 mentum ac integritatem Historiæ Augustæ non parum  
 inde accedat præsidii. Præcipua certe AUGUSTÆ do-  
 mus subsidia vel ornamenta continuo se hic offerunt,  
 gener AGRIPPA, CAIUS & LUCIUS Nepotes  
 & adoptione Filii, DRUSUS privignus, GERMANI-  
 cus pronepos, hujus liberi NERO ac DRUSUS, Ti-  
 berii DRUSUS ac gemini ex eodem Nepotes, deni-  
 que,